Werk

Titel: Ad inscriptiones Saguntinas

Autor: Ziebarth, E.

Ort: Rom

Jahr: 1897

PURL: https://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?783873484_0012|LOG_0043

Kontakt/Contact

Digizeitschriften e.V.
SUB Göttingen
Platz der Göttinger Sieben 1
37073 Göttingen

info@digizeitschriften.de

AD INSCRIPTIONES SAGUNTINAS

Codex biblioth. Gotting. Philos. 153 continet inter Gregorii Mayansii opuscula fol. 49-53 epistolam Mayansii de inscriptionibus Saguntinis datam Olivae postridie kal. Februarias anni 1754 Illustrissimo et Excellentissimo Viro Ernesto Guidoni Comiti de Harrach, quocum ipse Mayansius antiquitates Saguntinas vidit quoque dictante inscriptiones descripsit. De hoc codice Aem. Hubnerus, qui ipse eum non vidit, in praef. Suppl. *C. I. L.* II p. LXXXII, dixit: « accuratius de eis referre non videtur operae pretium esse ».

Ad hanc opinionem perductus est sine dubio vir doctissimus, quod idem Mayansius iam ante annum 1742 epistolam conscripsit de titulis Saguntinis editam inter Gregorii Mayansii generosi antecessoris Valentini epistolas (Valentiae 1742) p. 144 sq. de qua Hübnerus *C. I. L.* II, p. 513: « nescio a quo complures (sc. accepit) Mayansius, descriptos maximam partem ex Escolano et Diago, additis fortasse exemplis Martini, propria bonitate nulla; quos ille communicavit in epistolis suis cum Ioh. Bapt Schombergio peregrinatore nobili Germano ». Attamen haec nova epistola multum praestat priori, primum quod ipse Mayansius de lapidibus descripsit titulos additis saepe editorum priorum nominibus, deinde quod novos addidit titulos. Continet enim initium epistolae (f. 49. 50) titulos Saguntinos hos: *C. I. L.* II, 3892. 3832. 3835. 3865. 3850. 3843. 3848. 3846. 3842. 3838 (deest v. 1). Sequuntur fol. 51 r. verba.

« Ignota est sequens inscriptio:

VALERIA
M' OPILIO · OPTA
FIL · AN · XXII

Ecce aliam, quam ita legimus (*C. I. L.* II, 3916) ».

Fol. 51 v. « Cursim nunc subiungamus inscriptiunculas aliquas, quas properanter legimus. Ecce unam:

BAEBIVS
PAGANVS

Ecce alteram:

CANVS · Q · F ·
AN·X

Adde hanc: (*C. I. L.* II, 3889). Vide sequentem: (3908). Extat etiam haec: VALE

Quid hac elegantius: (3871). Sequuntur: 3920. 3858. 3859. 3840 ».

Fol. 52 v. « In novo pariete pavimenti tessellati hanc inscriptionem legimus:

BAEBI
L · BAEBIVS
AN ·

Item hanc:

LVCRETIA
W' L'
PRIMA' HIC
SITA · EST ·

Sequitur: 3898 ».

In fine epistolae Mayansius exhibet etiam titulos Ibericos geminos et ad litteram fere congruentes qui sunt apud Hubnerum Monum. ling. Ibericae n. XXVIII et XXIX. Et priori quidem addit lemma « Apud Iosephum Bodi » (1), alteri praescribit: « Haec inscriptio antiquissimis Hispanis characteribus scripta, recenti manu transcripta et immutata est, et novae cuiusdam Ecclesiae parieti inclusa in hunc modum ... et ei adiunctum est hoc additamentum:

ANO 400 DES
PVES DE ROMA Y 300
ANOS ANTES DE CRISTO

Nos somniantes numquam ita deliramus ».

De titulis hisce Hubnerus loc. cit. ita disserit: « Duos olim exstitisse lapides perquam similes n. XXVIII et XXIX, certum est. ... Tamen potest idem homo designatus esse, lapidibus duobus in variis sepulcri locis positis, sed nomina eius varie scripta. Nam sepulcrales esse titulos ipsa brevitas indicat ». Sed recte, si quid video, Mayansius perspexit, n. XXIX nihil esse nisi recentem imitationem alterius n. XXVIII ideoque ex monumentis linguae Ibericae eximendum.

Romae.

E. ZIEBARTH.

(1) v. 1, 3 pro ♀ Mayansius legit ♁.